

30 DE BELLO GALLICO

re dicto audientes milites, neque propter timorem si-
gna laturos. Hæc quum animadvertisset Caesar, conuo-
cato concilio, omniumq; ordinum ad id conciliū ad-
hibitis centurionibus, uehementer eos inculpauit. Pri-
mum, quod aut quam in partem, aut quo consilio di-
cerentur, sibi querendum, aut cogitandum putarent.
Ariouistum se consule cupidissime populi Rom. amici-
tiam appetisse, cur hunc tam temere quisquam ab of-
ficio discessurum iudicaret: sibi quidem persuaderi,
cognitis suis postulatis, atq; æquitate conditionis per-
specta, cum neque suam, neq; po. Ro. gratiã repudia-
turū. Quod si furore atque amentia impulsus, bellum
intulisset, quid tandem uererentur? aut cur de sua uir-
tute, aut de ipsius diligentia desperarent? Factum eius
hostis periculum patrum nostrorum memoria, quum
Cimbris, & Teutonis à C. Mario pulsus, nō minorem
laudem exercitus, quàm ipse Imperator meritis esse
uidebatur. Factum etiam nuper in Italia seruili tumul-
tu, quos tamen aliquis usus, ac disciplina, quem à noi-
bis accepissent, subleuaret. Ex quo iudicari posset,
quātum haberet in se boni cōstantia, propterea quod
quos aliquandiu inermes sine causa timuissent, hos po-
stea armatos ac uictores superassent. Denique hos es-
se eosdem Germanos, quibus cum se penumero Helue-
tij congressi, non solum in suis sedibus, sed etiam in il-
lorum finibus plerunque superassent, qui tamen pa-
res esse nostro exercitui non potuerint. Si quos aduer-
sum

*oratio Caesa-
ris ad suos.*